et insensati cum suis electis et auditoribus excogitauerunt, de sanctis virtutibus, quæ in manibus existentes se in masculos transfigurarunt, transfiguratae faeminis aduersae gentis illicerem et per concupiscentiam lumen quod membris suis permixtum tenebant fugarent, quo fugato ab angelis lucis purgantur, purgare manibus imponeretur et ad regna propria reportarentur. *Hic vidis eos in desideria cordium suorum traditos fuisse propter contemptum verbi dei. Sed audi nuncia scelestum ministerium cuius paulo antea mentionem feci sumpserunt electi eorum sic enim sacrorum suorum ministros (quemadmodum furiosi Anabaptistæ suos prophetas nominabant) velut Eucharistiam cum semine humano conspersam, vt etiam inde sicut de aliis cibis quos acceperunt substantia illa diuina purgarentur, sed quanta et quam nefaria turpitudo inde defluxit de masculorum in foeminas et feminarum in masculos transfigurationem. Item de subtracta farina (nefandum) ad excipiendum et commiscendum concubentium semen, deinde quot virgines et puellæ quæ non dum attigerunt duodecimum annum propter hoc ipsum violatae et quae alia turpisima et nefandissima scelera perpetrata fuissent, consulto pretermitto et parco piis auditoribus presertim cum ex ipsis Manichei non nulli deprehensi hoc suum ministerium non sacramentum sed execratum fuisse confiterentur. Non mihi dissimilis huic turpitudini videtur Anabaptistarum furiosa paligamia[10], et sine omni pudore nulla reverentia sanguinis habita ratione promiscui ac incesti concubitus quibus eos vbique locorum inter se turpissime commisceri dicuntur, cum ergo hic vincat fortissima veritas quis non videat utrumque hoc est Manicheum et Montarium cum omnibus suis electis auditoribus prophetis et fecibus adhuc reliquis, vt cum ipso Neuero Vismariensi[11] traditos a deo tum fuisse tamen adhuc esse in reprobam mentem prolapsosque in blasphemiam, et in omne genus turpitudinis quod vñquam nominari posset. Sed pergo de Manichæis dicere, illi presertim inter ipsos qui electi dicebantur carnibus ouis et lacte non vescebantur a vino et musto ridiculis quibusdam de causis quae omitto superstitione admodum abstinebant. Hic rursum propter breuitatem praetereo nugarissima quedam figura de miribili animarum metamorphosi et transitu in alias homines in escas in pecora de vita sensibili dolore et*

[10] Omkr. juli 1534 indførte Johan von Leiden flerkoner i Münster, han grundede det bl.a. ud fra Gen. 1,28. En opposition fra borgere i byen blev nedkæmpet brutal. Den ovenstående (note 8) nævnte Rothmann havde 9 hustruer, Köhler, ibd.

[11] Se ovenfor p. 28 note 5.

*cruciati arborum et herbarum, et si agriculturam ita damnabant, vt omnes agricultores homicidii reos accusauerunt, tamen propter alimen-tum et victimum suis tantummodo auditoribus agros collere permisserunt et quamquam nuptias et coniugia condemnabant et prohibebant tamen mulieribus vtebantur, siue potius abutebantur. Nonne vides hic mi charissime frater in his Manicheis clara depingi presentem statum papatus, vbi monachi et papistae (quos Paulus vocat spiritus imposto-ris et doctrinas demoniorum) etiam prohibit contrahere matrimonium, iubent abstinere a cibis, quos deus creauit ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus, et tamen illos ipsos interim nec a cibis nec a mulieri-bus abstinere. Argumento sunt tam illorum pingues ventres quos pas-cunt, tum inumerabiles spurii quibus orbem terrarum repleuerunt per suum foedum concubinatum, cum interim honorabile inter omnes (inquit Paulus) coniugium et cubile impolutum, tamen damnarent, videlicet nihil de clandestino concubitu monachorum et monialium, cuius perpetuum testem esse debet piscina Gregorii papae olim Romae purgata in qua plusquam 6000 iugulatorum infantium capita repe-rerunt propter vicinitatem coabitantium fratrum et sororum in anti-christo, quid si hodie adhuc semel purgaretur nulli dubium erit quin purgatores numerum capitum infantium aequarent ne dicam supera-rent[12] ex his ergo omnibus facile colligere poteris papam ipsum cum suis papistis et monachis hoc est mendacibus et homicidis esse magnum Manicheum nam vbi contuleris inter se ipsum Manicheum et papam hos est cardinalibus, episcopis, sacerdotibus et monachis, deinde auditores illius cum huius auditoribus, hoc est misero populo per papam seducta. Postremo vbi vniusque partis doctrinam statum, vitam, mores iusta lance liberaueris videbis haud dubie Manicheum et papam in multis conuenire aduersus deum et Christum eius.*

*Sed redeo ex digressione ad Manichaeos et ostendam haec omnia iam dicta tolerabilia fuisse praeterquam sunt ea quae nunc sequuntur. Nam cum hactenus audieris effectus ipsos et coecitatem peccatorum poenam. Audies etiam nunc causas et ipsa peccata propter quae in tam horribilem coecitatam prolapsi fuerunt, quemadmodum enim mundus est inuersus decalogus, ita Manichaeus inuersum fidei nostrae symbolum fuisse constat, nam vbi nos dicimus credo in deum patrem omnipotentem*

---

[12] Historien om Gregorii fiskepark nævner Palladius også i sin »Sankt Peders Skib«, i: Peder Palladius' Danske Skrifter, udg. Lis Jacobsen, Bd. II, Kbh. 1918, p. 81. Jfr. dog Bj. Kornerups anmærkning hertil ibd. Bd. V, p. 328. Også Bugenhagen omtaler historien i sin Jeremias-kommentar, p. 22 og 32. Et værk, Palladius netop senere i dette kæterskrift henviser til, nedenfor p. 41.

illi dixerunt deum qui legem per Mosen dedit et in hebreis prophetis locutus est non esse verum deum sed vnum ex principibus tenebrarum. *Vbi nos dicimus creatorem coeli et terrae, illi Adam et Euam parentibus principibus fumi asserunt natos, aliaque quaedam absurdam de illis fabulantur.* *Habes errorem in creatione contra contra [13] ipsam Dei nostri deitatem.* *Deinde vbi nos dicimus et in Iesum Christum filium eius vnicum dominum nostrum, ibi Christum fuisse affirmant serpentem illum de quo loquitur scriptura, Gen. 3.* *Et vbi nos confitemur Christum conceptum de spiritu sancto, natum ex Maria virgine, mortuum, sepultum, resurrexisse, ibi illi affirmant eundem serpentem Christum venisse quidem nouissimis temporibus, sed ad animas tantum, non ad corpora liberanda, nec fuisse Christum in carne vera, sed simulata specie carnis ad ludificandas hominum sensus quasi indiuise, nec vere mortuum fuisse, nec vere resurrexisse.* *Habes errorem Manichaeorum in redemptione nostri contra veram Christi tam diuinitatem quam huminitatem.* *Postremo vbi nos dicimus: Credo in spiritum sanctum, illi promissionem domini nostri Jesu Christi de paracleto, id est spiritu sancto in sua heresiarcha Manicheo dicunt esse completam, vbi nos confitemur vnam sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem,* Manicheus se ab ecclesia segregauit et ex electis suis ad numerorum apostolorum 12 discipulos constituit quos appellauit magistros et decimum tertium dominum principem ipsorum episcopos vero 72 qui ordinabantur a magistris, et presbiteros et diaconos, qui ordinabantur ab Episcopis. *Vbi nos credimus et confitemur remissionem peccatorum, illi peccatorum originem non libero arbitrio voluntatis sed substantiam volunt esse contrariam quae aliquando a nobis separata in sua natura etiam ipsi immortaliter viuat, et cetera quae nugantur de duabus mentibus siue animabus, vna bona altera mala in vno homine confictum inter se hominibus quando caro concupiscit aduersus spiritum et spiritus aduersus carnem.* *Habes errorem Manichaei in sanctificatione nostri contra spiritum sanctum et ecclesiam catholicam, atque adeo contra omnes articulos fidei, vbi vides inuersum fidei symbolum fuisse, quere et inuenies similia tam in Papistis, quam in Anabaptistis.* *Manichei enim Christum venisse aiunt ut animas tantum liberaret. Papa vero ne id quidem credit, credit eum sibi ipsi tribuat potestatem animas e (nescio quo) purgatorio liberandi per missarum suarum abomina-*

---

[13] Tydningen af dette ord i håndskriften er vanskelig, formodentlig er der tale om en fejlagtigt dobbeltskrivning af contra.

*cionem et impossibilem satisfactionem. Manichaeus negat Christum pro peccatis nostris mortuum et resurrexisse propter iustificationem nostri, cum tribuit satisfactioni nostra salutem et operibus nostris iustificationem. Concupiscentia Manichaeis non est vitium ex primo parente contractum, papae non est peccatum. Hanc collationem adde superiori tum haud dubie comperies verum esse quod dixi: papam esse magnum Manichaeum, quod autem Anabaptistæ Manichaeis in multis erroribus imitantur clarius et magis notum est et esse tibi arbitror, quam ut egeat probatione. Nam æque dissentient ab ecclesia Christi et doctrina fidei quae prodiit ex Syon et Iherusalem in nostris articulis de catholica communione sanctorum, de baptismo, de originali peccato et similibus. Manichaei baptismum in aqua non esse necessarium ad salutem perhibuerunt, nec quemquam eorum quos deceperunt, baptizandum putabant. Orationes fecerunt ad solem per diem, ad lunam per noctem, collueruntque creaturam et militiam coeli supra et contra creatorem, qui est pater domini nostri Jesu Christi, laudandus et glorificandus in omne aeum, amen.*

### *Marchionitae*

Marchionitae quorum heresiarcha fuit Marcion imitati sunt per omnia Cerdonis, vide supra de Cerdonianis.

### *Marchitae*

Marchitae originem recipirunt a quodam Marco haeretico, qui negauit resurrexionem carnis et non vere sed putatiue passim affirmauit. Duo quoque opinatus est ex aduerso sibi esse principia, tale quiddam affirmauit etiam de orationibus sicut Valentiniani de quibus infra vide [14]

### *Melchizedechianj*

Melchizedechiani siue Melchizedechitae ab heresi sua nomen receperunt Melchizedech enim sacerdotem Dei excelsi non hominem fuisse, sed virtutem Dei arbitrabantur.

### *Melithianj*

Melithiani a Melitio nuncupati, nolentes orare cum conuersis, qui in persecuzione ceciderent schisma fecerunt, postea vero dicti sunt Aereanis esse coniuncti.

---

[14] Artiklen om Valentiniani, som Palladius her henviser til, findes ikke i det bevarede manuskript, jfr. indledningen ovenfor p. 15.

*Menandrinj*

Menandrini a Menandro mundum asserebant non a Deo sed ab angelis factum.

*Merithianj*

Merithiani de quibus vide supra Cherinthianos.

*Metangismonitae*

Metangismonitae fuerunt hereticj, qui hanc absurdissimam de trinitate opinionem habuerunt quod dicerent sic esse in patrem filium, quemadmodum vas in vase, quasi duo corpora, ita et filius intret in patrem tanquam vas minus in vas maius, dicti Metangismonitæ quia μεταγγισμος latinis significat introitum vnius vasis in alterum.

*Nazarej*

Nazarej siue Nazanti cum Dei filium confiterentur esse Christum, omnia tamen veteris legis obseruauerunt, quae Christiani per apostolicam doctrinam non obseruare carnaliter sed spiritualiter dederunt. *Hii tamen videntur mihi rectius sensisse quem nostri monachi hodie sentiunt, qui legem per vota sua reuocant et Christum quem orare confidentur suis traditionibus obscurant.*

*Nicolaitae*

Nicolaitae siue Nicolaitani a Nicolao quodam nominati, quem quidem perhibeat fuisse vnum ex septem diaconis, quos apostoli ordinauerunt, *sed quia id incertum est nolo temere affirmare, id verum certum est hoc tempore apostolorum extitisse, cum Joannes euangelista in sua Appocalipsi illorum mentionem fecerit, cum inquit saecula Nicolitarum odi*, fuit enim profecto turpissima secta, nam contra societatem coniugium, imo contra legem naturae et diuinam vxores communes habuerunt, et earum vsum indifferentem esse voluerunt. *Mirum enim ἀστοχοι fuisserint, cum societas coniugium in omnibus creaturis naturaliter conseruari soleat sed mirari desino cum papatum aspitio in quo pro honorabili coniugio sub falso celibatus titulo receptum est turpissimum et Deo abominandum concubitum constat.* Illi enim concubinarij Nicolaites incitantes inter conuenalia concubinas commutare et forte mittendo illarum abusum aliis quoque concedere

solent. Nicolaitae nec non ab his qui idolis imolabantur cibos suos separauerunt et alias ritus gentilium superstitionum obseruauerunt nec non etiam quedam fabulosa de mundo narrauerunt et barbara principum nomina suis disputationibus inseruerunt quibus terrent auditores, quæ tamen prudentibus risum potius ferunt quam timorem. Intelligunt autem isti non Deo tribuisse creaturas, sed quibusdam potestatibus, quas mirabili vanitate vel finixerunt vel crediderunt.

*Noethianj*

Noethianj a quodam Noetio dixerunt Christum eiusdem ipsum esse patrem et spiritum sanctum.

*Nouathianj*

Nouathiani a Nouato dicti, de quibus vide supra Cathoroae.

*Nudipedes*

Nudipedes haereticj, qui contendebant nudis pedibus ambulandum esse Christianis propterea quod dominus dixerit ad Mosen et ad Iosue: solue calceamentum de pedibus tuis, iussus fuerit ambulare, *simile obserua etiam hodie in Minorithis quibusdam, qui id non solum necessarium putant, sed etiam meritorium remissionis peccatorum.*

*Origenianj*

Origenianj siue Origenianistæ a quodam alio Origene non ab illo qui est fere Epiphanius, Origenianj inquit cuiusdam Origenis sectatores sunt, turpis sunt operationis isti sunt nefanda facientes sua opera corruptioni tradentes.

*Origenianj*

Origenianj siue Origenianistæ eiusdem nomine cum superioribus, sed diuerso authore, seu diuersis heresis, qui mortuorum resurrectionem negauerunt. Christum autem et spiritum sanctum creaturam dixerunt, paradisum coelos et alia non respectu litterarum sed in allegoria esse crediderunt. Sunt et alia huius Origenis dogmata de purgatione et liberatione ac rursum post longum tempus ad eadem mala reuolutione universae rationalis creaturae atque etiam demonium, de qua vanissima impietate aduersus philosophos, a

quibus ista didicit Origines in libris De Ciuitate Dei diligentissime disputauit *Augustinus*: dixit præterea ipse Origines, quod filius Dei sanctis hominibus comparatus, veritas sit, patri collatus, mendacium, et quantum distant apostoli a Christo, tantum filius a patre, vnde nec orandum esse filium cum patre, quia non est author indulgendarum petitionum, sed supplicator. *O vanitas vanitarum, sed non sit tibi mirum optime frater si coles etiam nostro saeculo phantasticos spiritus et blasphematores audieris, mundus repletus est blasphematorum, in Italia est Seuetus quia(!)* [15] *mira quaedam et absurdum contra trinitatem nugari nudet* [16]. *In Germania passim circumcursitant suermerij qui contendunt acerrime contra ipsam veritatem non posse defendi ex scriptura Christum esse Deum, egeramus illi filius נלכעל inimicus veritatis in valle Joachimica pre concione dixisse fertur in hunc modum, viderint Lutheriani ne tam magnopere Christum predicent nec non vsque adeo extollent vt ex illo idolum faciunt quasi vero Christus Dei filius noster dominus, mediator liberator a nobis supra modum laudari et glorificati possit, cum ipse pater dixit: hic est filius meus delectus in quo mihi bene complacitum est. Item glorificam et glorificabo sed timent impii vbi non est timor.*

### *Ophitae*

Opitæ a colubro nominati sunt, coluber enim grece ὄφις dicitur. Hunc autem Christum arbitrati sunt, sed habebant etiam verum colubrum, quem nutriebant et venerabant, qui et incantante sacerdote egrediebatur de spelunca et ascendens super altare immixtum speluncae oblationes eorum lambebat. Deinde insoluens se circa eas regrediebatur ad speluncam et ita confregerunt oblationes in eucharistiam, quasi e serpente Christo, vt illi putant, significatas, tradunt huius serpentis cultum a Nicolaitis ad istos deductum.

### *Patritianj*

Patritiani a Patritio nuncupati substantiam carnis humanae non a Deo sed a Diabolo conditam dicent, eamque sic fugiendam et detestandam putebant, vt quidam eorum perhibeantur etiam morte sibi illata carere carne voluisse.

[15] Den almindelige oplosning af forkortelsen i texten dette sted er quia. Vel fejl for qui.

[16] Michael Servetus, spansk læge, henrettedes på bålet i Geneve 1553, anklaget af Calvin for sin fornægtelse af trinitetslæren.

### Paternianj

Paterniani inferiores partes humani corporis non a Deo sed a Diabolo factas opinabantur, et omnium ex illis partibus flagitiorum licentiam tribuentes impurissime viuebant. Hos etiam Venustianos quidam vocant.

### Pattolorinchitae

Pattolorinchitae in tanto silentio studuerunt, vt naribus et labiis suis digitum opposuerint, ne vel ipsam taciturnitatem voce preriiperent, quando tacendum sibi esse arbitrabantur. Vnde etiam est illis nomen –[17] enim palus dicitur et nasus ex digito per excessum abutentes vulgari dicto, digito composæ(!) labellum, *profecto credo cum his coniuratos esse illos nostri saeculi dominos quos episcopos et praelatos ecclesiae vocant, quorum multi iam sexagenarii ne dicam centenarii gloriari audent se perpetuo tacuisse veritatem et verbum Dei, nec semel quidem per totam vitam suam in suggestum ascendisse, vt Christum docerent ac predicarent populo, illud carnis dictum mordicus tenentes nil tacuisse nocet esse lauitium, qui etiam hodie in silento et spe futuri consilii fortitudinem suam frustra custodiunt quibus interim meliorem dari mentem optari debemus et precari Deum vt per illum qui sputo emissso dixit Ephata, etiam illorum linguam in verbo domini mutatam solent, ne amplius in terra transent sed fiat calamus scribae velociter scribentis laudem et gloriam Dei.*

### Paulianj

Pauliani siue Paulonitae a Paulo Samosatheno, Christum non semper fuisse dicebant, sed eius initium ex quo de Maria natus est asseuerabant, nec eum aliquid amplius quam hominem putabant. Ista heresis postea ita a Fatino confirmata fuit vt Fatiaiani quam Pauliani celebrius nuncupati fuissent, *vsque adeo peccata peccatorum, iniquus iniquum, mendacum mendacem iuuat et confirmat, quemadmodum vidimus hodie Anabaptistarum furiosam heresin ita confirmari a Neuero vel Fola phanaticorum spirituum defensore et patrono vt feces et reliquiae istius factionis et sedicionis merito neueritianii vocitentur*[18].

### Pelagianj

Pelagiani a Pelagio monacho sic dicti, quorum sectatores etiam

[17] Skriveren har her ladet en plads stå åben. Hos Augustin står dette sted πάσσαλος, jfr. ovenfor p. 18.

[18] Jfr. note 5.

Coelestiani sunt nuncupati. Hii sine gratia Dei suis meritis imperare posse gratiam Dei contendebant, legi Dei satisfacere paruulos originalis peccati vitio carere, nec opus habere baptismos putabant. *Hic vides ut hodie quoque Pelagianizani Anabaptistæ ecclesiam Christi in hac mortali vita vsque adeo perfectam somniabant Pelagiani ut esset omnino sine macula et ruga, cum Paulus de futura post hanc vitam ecclesia loquitur. Hic rursum vides fontem Anabaptistæ reformationem qua illi ecclesiam omnibus maculis et rugis etiam gladio purgari frustra inceperunt.*

### *Pepuzianj*

Pepuziani a ciuitate Pepuza, quam propter fictam diuinitatem Iherusalem vocabant nominati mulieres –[19] in sacerdotes et ministros ecclesiae dixerunt enim Quintillae et Priscillae mulieribus in eadem ciuitate Pepuza Christum in specie faeminae reuelatum. *Mera stultitia et coecitas hominum, quem tantum fidei tribuerunt fictis reuelacionibus Gregorius Papa ut questum præberet Romae suis sacerdotibus angularem quam vocavit missam fundauit quid mori mortalia pectora cogis. Auri sacra fames de fictis reuelacionibus vide in libro quam vocant victimas patronorum, sane lege hystoriam fratrum Bernensium, vbi miram Sathanæ technam admirari non desinas illi enim diabulo nuncupati miras tragedias noctu falsis reuelacionibus exitarunt, quidam simplici fratri callide illudentes inflixerunt ei quemque vulnera quae ipse deinde populo (qui pronus ad credendum talia fertur) ostendisset, quasi e coelo ea propter vitae sanctitatem ab ipso Christo accepisset. Sed quia dolus saepe successu caret ille ipse quem tam horribiliter cruciaverunt intellecta eorum techna se subtraxit in ciuitatem atque eos perdidit, qui tandem conclusi poenas tam furiosae audatiae dederunt, unde facilem etiam adducar ut credam simili impostura factum esse quod est Dominicam de sua Catharinae Sinensis et Minoritae de sui Francisci, quibus vulneribus gloriantur, omnia inligeant monachis per huiusmodi imposturas et fictae reuelationes, sed ad Pepuzianos redeo, qui Quintilliani nuncupati fuerunt a Quintilla muliere cui facta fuisset reuelatio de qua paulo ante dixi. Hii Cataphriges imitati funesta habuerunt de sanguine infantis anniculi, vide supra Cataphrygis. Preterea dicitur Pepuza fuisse patria Montani et prophetissarum eius Priscae et Maximillae, et quia illi vixerunt, ideo locum meruisse appellari Iherusalem, qua in*

[19] Tilsyneladende står her acbant eller aebant, hvilket vel er corrupt for dabant, jfr. Augustin det pågældende sted, Migne sp. 31.

*re etiam nostro saeculo fecas habuerunt symonias, nam illos imitati Anabaptistae vrbem Monasteriensem nouam Iherusalem nominauerunt[20], quae et noua incepit. Ita etiam noua perit iuxta illud proverbiū, quod cito fit, cito perit.*

### Priscillianistæ

Priscillianistæ quos in Hispania Priscillianus instituit, maxime Gnosticorum et Manicheorum dogmata permixta sequebantur. Hii animam dixerunt eiusdem naturae atque substantiae eius est Deus, et mundum a maligno conditum principe, hominesque fatalibus stellis alligatos, et ipsum corpus nostrum secundum 12 signa compositum crediderunt, constituerunt enim in capita Arietem, Taurum in ceruice, Geminos in humeris, Cancrum in pectore, *Leonem in manibus, Virginem in ventre, Libeam in umbilico, Scorpionem in copis, Sagittarium in veretro, Aquam in vescico, Caprinarium in tibiis* et Piscem in plantis, quod vltimum signum ab Astrologis nuncupatur, sed an propter hanc postremam causam iudicandi fuissent hereticj viderint ipsi qui Matematici vulgo vocantur carnes tanquam immundas escas deuitabant, coniuges quibus hos malum potuerint persuadere disiungebant et viros a nolentibus faeminis et faeminas a nolentibus viris (*quemadmodum hactenus monachi per cuculariae sanctitatis predicationem fecerunt*) abstrahebant, omnis enim carnis opifitum non Deo sed malignis angelis tribuerunt, *quid aliud obsecro sentiunt hodie sacerdotum carnifices, Ecchius, Faber Concleus et similes, qui pro suo ficto celibatu contra coniugium et ordinationem Dei allegant ex decretis optimam Paulj sententiam pessime depravatam: »qui in carne sunt Deo placere non possunt«, quasi vero in coniugio esse, sic esse in carne et non potius in spiritu cum fit in fide et secundum ordinationem Dei, cumque in carne sunt hii solum, qui sunt sine spiritu et fide in Christum. Si coniugium volunt in carne esse tum haud dubie suum turpissimum concubinatum in spiritu esse volunt, sed in malo puto, quo illi ducuntur non in spiritu Dei, quo filii Dei ducuntur. Preterea et hoc dictum pessime torquent contra coniugium »estote sancti, quia ego sanctus sum«, quasi vel illud solis sacerdotibus dictum sit למשׁכָב significet tantum celebes et concubi, sed illos coeci enim sunt et duces coecorum[21].* Priscillianistæ Sabellia-

[20] Jfr. ovenfor p. 29 note 8.

[21] Foran significet står en hebraisk glose, der vanskeligt lader sig tyde. Efter ordet concubi og foran ordet illos har skriveren ladet stå åbne pladser. Sandsynligvis skal der stå למשׁכָב. Amanuensis cand. theol. John Strange takker jeg for hjælp ved tydningen.

nam sectam imitantes Christum non solum filium, sed etiam patrem et spiritum sanctum esse dicebant, totam sacram scripturam in suos sensus per allegorias vertebant, *quae quidem licentia sine discrimine omnia allegorizandi quam nocentissima semper fuerit ecclesiae Christi longum esset hoc persequi dicam tantum unum atque alterum exemplum, vt intelliges quam periculosa res sit allegoriis ludere in scripturis sacris, presertim eos qui spiritum Christi non habent, eligam tres locos e principio medio, et fine scripturarum sacrarum, unde facile qua es prudentia iudicare potes nullum fuisse locum in scriptura liberum atque immunem ab allegorico sensu.*

*Primus locus est Gene. 1: »fecit Deus duo luminaria« etc., quem locum sic interpretati sunt allegorizantes de pietate ecclesiastica, quam vocant, fecit Deus duo luminaria magna in coelo solem et lunam, id est papam et imperatorem alterum. Papam vt precesset diei hoc est vitae contemplacione sacerdotibus et monachis et qui tamquam in die composita ambulabant, vt inquit Paulus. Alterum, id est imperatorem vt precesset noctis hoc est vitae actiuae laicis et prophanicis hominibus (quos vocant) et quamquam in fide et timore Dei suum faciant operam secundum vocationem et ordinationem Dei tamen ad monachos et spirituales collati carnales dicuntur vt in nocte atque tenebras ambulant. Deinde luna hoc est imperator accipit suum splendorem a sole, hoc est a summo pontifice, hoc est regnum imperium potestatem et dignitatem. Postremo quemadmodum sol in quarto coelo supra lunam collatus est, ita et papa sedebit in quarto gradu super imperatorem, et pedibus eius (quominus podagra aut hispanica laborat) coronam siue diademam capiti imperatoris imponat, iuxta versiculum: Petra dedit petro, Petrus diadema Rodolpho, vt testetur se imperator perpetuo tyrranidi papae subiectum esse non secus atque miser ille captiuus, qui inhumanissimo turce equum ascendendi tergum submittam cogatur, quantum tyrrannidem et terrificinam peperit. Hec allegoria in ecclesia facile testatur miserrima illa seruitus et captiuitas tantum non Babylonica sub iugo Papae et flumine excommunicationis. Gratiam Deo, qui eripuit nos et victoriam dedit per Iesum Christum, dominum nostrum, Amen.*

*Secundus locus est Threno. 3: »Bonus est dominus expectantibus eum et animae quae querit illum, bonus expectat in silentio salutem domini, Bonum est via si portat iugum in adolescentia sua, sedebit solicitarius et tacebit, quando leuabit super se, ponit in pulueres os suum si forte sit spes, dabit percutienti se maxillam, et saturabitur opprobrio, non enim derelinquit dominus eum in aeternum.« Quanquam*

*hic locus Ieremiae scriptus est de lamentabili casu Iudeorum, et vrbis Iherusolimitanae, continetque diuitem valde promissionem et consolationem, primum ipsis captiuis Iudeis, deinde in genere omnibus afflictis conscientiis. Tamen inoptuli quidam monachi propter vocabula hec Silentium, Iugum, Solicitarium, leuare etc, hunc locum mirum in modum discurauerunt, et ridicule preter contextum per allegoriam ad se torserint. Hic enim exponunt de monachali, et sua contemplativa vita dicentes, iugum domini esse humanas obseruantiae et obseruantiarum regulas, et sedere solicitarium et tacere esse manere in colla monachi. Hoc est seperare se ab hominibus deserere patrem et matrem, nulli per charitatem seruire etc. Tunc aliquis monachus leuat se, id est spiritualem monachum super se, id est super carnalem monachum et speculatur in diuinis et contemplatur tantum coelestia – forte – [22] absque verbo Dei infidelis et Dei et omnium rerum ignarus et profecto ridicule errant in hac precipua particula leuauit se super se, cum alterum se priori loco positum videlicet abundat, ita enim habetur in hebreis כ' נטל עלי' quando leuauit super se, id est onus patienter tulit. Vide commentarios Pomerani super hunc locum[23]. Monachi fecerunt ex hoc textu Sileamus, et non murmuremus domino suum silentium, sed quantum damni per hanc etiam allegoriam intulerunt ecclesiae Christi omnibus piis iudicandum et deplorandum relinquendo. Hic certe melius esset omnes omnium monachorum linguas excissas fuisse ut perpetuo silentium seruarent, quam de se hunc totum textum interpretarentur.*

*Nunc venio tandem ad Tertium Locum, qui est Apoc. 2: »et vidi angelum descendii de coelo habentem clauem abyssi et catheram magnam in manu sua et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus et Sathanas, et ligauit eum per annos mille, et misit eum in abyssum et clausit et obsignauit semper illud, et non seducat amplius gentes donec consumantur mille anni, et post hoc oportet illum solui modico tempore.« Deus bone, qualem huic loco allegoriam falsarii scripturam addiderunt, pudet me profecto illorum interpretationem huc ascribere nihil enim turpius, nihil foedius, nihil denique magis hac sacratissima reuelatione indignius excogitari poterat. Nam cum hic locus de nostro salvatore Iesu Christo, qui Sathana sua diuina potentia ligauit et in Tartara misit intelligendus sit, isti pro suo coelibatu*

[22] Åbne steder i manuskriptet.

[23] Bugenhagens kommentar til Klagesangene findes umiddelbart efter bl. CCCCCXLIII i hans In Ieremiam Prophetam Commentarium... Anno M.D.XLVI VVitebergæ. Jfr. G. Geisenhof, anf. skr. nr. 333. Exemplar i Det kgl. Bibl. København. Det sted, Palladius henviser til findes bl. CCCCCLIII.

*aduersus coniugium sacerdotum miram quadam deprauatio hanc reuelationem interpretati sunt in hunc modum: et vidi Angelum, id est Calixtum papam, Descendentem de coelo, hoc est de sublimi sede et maiestate pontifica, Habentem clauem abysi, hoc est potestatem ligandi et soluendi, et catenam magnam in manu sua, hoc est fulmen excommunicationis, et apprehendit scilicet mandatoriam, draconem, serpentinum antiquum, id est concupiscentiam et libidinem sacerdotum per carnalem copulationem matrimonij, Qui est Diabolus et Sathanas, id est aduersus Deum, quia impedit diuinum officium missae et aliorum bonorum operum et deuotionum, et misit eum in abyssum et clausit et obsignavit super illum, vt non amplius seducat gentes. Hoc est sub mandato excommunicationis et suspensionis ab officio prohibuit sacerdotibus ne ducerent vxores, quia missa a tali sacerdote celebrata fuit immunda et seductio quidem hominum, sed vt viuerent celibes et cohererent illum antiquum serpentem, id est illam antiquam et hereditarium vestitionem, quam nostri parentes a serpente dilusi contraxerunt et posteris suis relinquunt, egregiam scilicet scripturae interpretationem, egregium euangelii testimonium cum interim tales vocentur testes Christi digni profecto testium priuacione, quanto applausu tam authoritati huius tragediae quam acclamorum est hactenus a Sathanae ministris, non est obscurum, neque credo quemquam latere posse, cum pueris etiam in scolis manifestum sit, qui huius mali inuentori Calixto ridiculo hosce tosiculos[24] interdum accingere solent, O bone Calixte tibi sacer sit dies iste, Olim presbiteri poterint uxoribus vti, Hoc perueristi dum Romae papa fuisti, Sed bene fecisti, pro sola mille dedisti, Ergo tuum festum semper celebretur honestum. Ceterum his nugis relicitis ne quis putet me temere talium allegorianarum authores incessere, aut in vniuersum omnes allegorias damnare. Subiungam breuiter primj saltem loci de sole et luna commodam allegoriam, quae non contra fidem in Christum excogitata sed fidei analogia est de regno Christi in hunc mundum, regnum Christi est nouum coelum et mundo incognitum, sed Deo notissimum, ita ecclesia in mundo fulget, dormitante interim et steciente mundo, hoc est non animaduertente aut curante ecclesiam, stellae vero sunt prophetae apostoli et omnes doctores ecclesiae, sol vero ipse Christus, sicut Malachi. dixit cap. 4 et testatur: »ecce oritur vobis timentibus cum sol iustitiae.« coelum significet ipsum mundum. Haec allegoria meo iudicio charissime frater pius et afflictas conscientias non parum consolari potest, nam vt sol vniuersum orbem terrarum lumine*

---

[24] Ordet tosiculas er vel fejl for versiculas.

*suo illustrat, ita Christus omnes homines illuminat, sicut testatur Joannis: »erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.« Item vt luna capit lumen suum a sole, ita ecclesia Christi accipit suum lumen, hoc est iustitiam et munditiam suam a sole suo, id est Christo, et sicut luna nonnunquam obscuratur in ecclipsi et non deseritur tamen a sole, sed recipit ab eodem lumen suum, ita ecclesia quamvis aliquando obscuretur, id est persecutionem patiatur, non tamen derelinquitur.*

### *Proclianitae*

Proclianitae sicuti sunt per omnia Seleutianos Dei, quibus vide infra suo loco, sed vltra heresim Seleutianorum addiderunt Christum non in carne venisse, *id quod etiam hodie stulti Iudei affirmant sequentes suum Tolande et alteranum*[25], ideoque adhuc venturum Messiam expectant, sed frustra, videmus enim venisse Christum quemadmodum erat promissus in prophetis, et illos expectare suum somnium non Dei promissionem, sed cum nobis frater non solum contra Papistas et hereticos verum etiam contra reliquias et faciem Iudeorum pugnandum sit hoc tempore, audis enim et in Moravia et in aliis locis esse Iudeos in Christum blasphemos, qui ad Judaismum Christianos abiecerunt et circumcidunt. Huc breuiter et rationes aliquot adducam et certa ex scripturis testimonia citabo, quae clare probabunt frustraneam esse hodiernorum Iudeorum expectationem, plura tibi legenda relinquo in Annotacionibus Pomerani super 31. caput Ieremiae[26]. Nam in libro Rabbi Samuelis de Iesu Nazareno vero Messia Iudeorum[27], primo talis venit Christus, qualis erat in scripturis promissus, ergo haud dubie est verus Messias Iudeorum prophetae enim vaticinati sunt, primum Messiae aduentum futurum cum paupertate et humilitate, hoc est despectum et contemptum. Nam Zacha. cap. 9 sic scribit: letare filia Iherusalem ecce rex tuus venit tibi iustus, salvator, pauper,

---

[25] Der er formodentlig tale om fejlskrivning her. Måske har der i originalen her stået bemærkning om Talmud?

[26] I sin Jeremias-kommentar (jfr. ovenfor p. 41 note 24) siger Bugenhagen bl. CCCXV, at skønt Jesus, den sande Messias, vandrede omkring blandt jøderne, så så man alligevel, at stulti Iudæi, quasi nihilum, contemnunt, *id quod etiam hodie posteri eorum faciunt*. Bugenhagen fortsætter derefter med at spotte og tilbagevise jødernes Messiasforventninger.

[27] Palladius henviser her til apostaten Rabbi Samuels værk om Jesus Nazarenen fra det 11. årh. Venligst oplyst af Amanuensis, cand. theol. Børge Salomonsen.

*sedens super asinam et super pullum asinae, et in eodem aduentu Isai., despectum Zacha. et Amos vendito, et Daniel imperfectum describunt. Hec omnia in Christo completa esse constat, sed hac specie insipientum oculi obscurabantur, et hodie requirunt gloriosum Messiam, qui per se feret aurum argentum, phalicias, equorum strepitum asenorum multitudinem militum, pompam et potentiam mundanam, et non vident illum coeci Messiam esse non potuisse si aliter apparuisset in primo suo aduentu, quam in scripturis promissus erat secundo, et si prophetae secundum Messiae aduentum gloriosum et cum maiestate et potentia futurum describunt, Daniel 1, vide in visione nocturna etc. Malach. 3 tunc veniam ad iuditium etc. Ezechiel 34, et in multis aliis locis. Interim tamen praedixerunt illum etiam secundum carnem in terris cum gloria Iudeis appariturum, Zacha. 2: magna erit gloria domus istius nouissime, Psal. 2: regnauit super Syon montes sanctum Dei, Isai. 9: super solium Dauidis et super regnum eius, Iehem. 49: parum est ut sis mihi seruus ad sustentandum tribus Iacob, et feces Israel conuertendas dedit te in lucem gentium et sis salus mea usque ad extremum terrae, Isai. 9: vocabitur admirabilis, consilium, fortitudo, propugnator, pater perpetuus, princeps pacis, Isai 7: vocabitur אלהן id est nobiscum Deus, Hiere. 23: vocabitur dominus, iustificator noster, Malach. 3: ecce dominus venit etc.*

*Age intueamur nunc gloriam domini nostri Iesu Christi et secundum carnem in terris Iudeorum coram exhibita Hanc gloriam ut omittam interim eius iustitiam, sapientiam plusquam Salomonis, praedicationem gratiae, et pretium nostrae redemptionis sola miracula testentur et obturent ora incredulorum Iudeorum conuitiis et blasphemias plena. Christus enim sanitates reddebat, mortuos suscitabat, malis spiritibus improbat ventos et mares suo mandato sedabat etc. Hae sunt diuitiae gloria et potentia Christi in terris, quid est ad hanc gloriam vel ipse Solomon ditissimus et sapientissimus dicant nunc Iudei quorum regum aut principum gloriam volunt preferri. Imo conferre gloriae Christi apud eos in terra agentis testetur et hanc gloriam Christi gloriosa resurrexio passim in prophetis praedicta, precipue vero Isai. 53: et ascentio in coelum cum triumpho, cuius ipsi prophetae aliquoties mentionem faciunt, ut in Psalmis: Tollite portas principes vestros etc. Isa. 63: quis est iste qui venite ex Edomis, Psal. 6: ascendit Deus in altum etc. dona dedit hominibus, iubilate, ascendit Deus cum iubilo, et similes loci quam plurimi quos nomini non in uno Christo completos esse constat, sed Iudej venientem Messiam contempserunt occiderunt et adhuc in sinagogis horrende blasphemant coeci impies damnari*

*non solum coram Deo sed etiam coram toto mundo, de qua coecitate  
in Psalmis et Prophetis clare predictum est, Isai. 43, Daniel 12,  
Hiere. 17, Psal. 16. quis nunc non videt eos esse populum maledictum  
et nullam illis esse salutem nisi recipient fide quem crucifixerunt  
Iesum Christum. Tertio in quod manifeste declarat iudeorum spem et  
expectati...*